



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Alberto Ferentinati Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ALBERTO FERENTINATI
Episcopo.Epist. 53.
Conceditur
q. idam locus
pro construendo
molendino.

Quia te, sicut venerabilem fratrem, vinculo sinceræ caritatis amplectimur, in his quæ secundum Deum possumus prompta tibi volumus benignitate deferre. Quocirca, venerabilis in Christo frater, tuis precibus inclinati, locum qui dicitur Molendinum de Papa, cum omni jure nostro, ad construendum ibidem molendinum, tibi & duobus successoribus tuis titulo locationis sub annua pensione unius libræ ceræ concedimus, ita videlicet quod post decessum eorundem successorum tuorum locus ipse cum omni melioratione sua liberè ad Romanam Ecclesiam revertatur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ locationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani VII. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno tertiodécimo.

NICIENSI EPISCOPO, ET
Lirinensi claustrali & de Mogenis Prioribus Antipolitane diocesis.Epist. 54.
Vt mulierem
quandam ad
maritum suum
redire cogant.

Accedens olim ad apostolicam sedem R. de Fonte laicus sua nobis confectione monstravit quod cum Rixendam filiam Benedicti de Grassa Antipolitane diocesis duxisset legitimè in uxorem, & inter eos fuisset carnalis copula subsecuta, dictus B. in contrarium voluntate mutata, ipsum coram venerabili fratre nostro Antipolitano Episcopo traxit in causam, dictam filiam suam asserens sibi coactam nupsisse. Cujus dictus Episcopus favere cupiens voluntati, probationes ejusdem R. admittere recusavit, cum impetu proferens quod antedictæ mulieri nubendi alij licentiam concedebat. A quo gravamine idem vir ad sedem apostolicam appellavit, præfata inhibens mulieri ne alij viro se præsumeret copulare. Sed dictus pater eandem filiam suam clam, non in facie Ecclesiæ, nihilominus cuidam Bertrando nomine minùs licitè copulavit. Quare venerabili fratri nostro Vigintimiliensi Episcopo & dilecto filio Abbati sancti Honorati & magistro R. rectori Ecclesiæ sancti Michaëlis Antipolitane diocesis dedimus in mandatis ut inquisita super præmissis diligentius veritate, quod canonicum esset statuere procurarent, facientes quod statuerent per cen-

suram ecclesiasticam firmiter observari. Ad quorum ire præsentiam, sicut eorum transmissæ nobis litteræ continebant, pars mulieris sæpius citata contempfit. Accedens tandem post multum temporis intervallum & asserens mandatum apostolicum per suppressionem veritatis obtentum, proposuit mulierem eandem dicto R. cui coacta nupsisset, minùs legitimè copulatam, nec intervenisse improbare copulam inter eos, inficiens & improbare contendens quod dictus Antipolitanus probationes ipsius R. admittere recusavit, & quod præcipit sententiam contra eum. Præfato igitur R. probationes super omnibus quæ ad obtinendum mandatum nostrum dixerat offerente, ipsi testes receperunt hinc inde. Et quoniam ad multas dilaciones quas dederant ad probandam, & ad unum peremptorium pars non venerat mulieris, cum vellent dicta testium publicare, procurator mulieris ipsius, qui venerat ad aliud peremptorium quod assignaverant, appellavit, literas arguens falsitatis, & bullam volens astruere, quia punctus deerat, esse falsam. Cùmque dicti judices appellationi ab eo interpositæ detulissent, eandem causam cum attestacionibus receptis ad nos sufficienter remiserunt instructam, festum beati Luca proximo præteritum utriusque parti terminum præfigentes, quo cum ipsis nostro se conspectui præsentarent. Nos igitur auditis attestacionibus ipsis & plenius intellectis, quia nobis constitit per eandem mulierem ipsam in dictum virum suum præstitisse consensum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus eandem, ut ad virum suum redeat & affectui ei adhareat conjugali, patrem quoque ac matrem, ne consilium & auxilium ei præstent quò minùs revertatur ad ipsum, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani VII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno tertiodécimo.

MONACHIS SANCTI VLLANI,
& ... Personæ Ecclesiæ sancti Dionysij
de Ambasia.

Cum inter vos ex parte una & Canonicos S. Florentini diocesis Turonensis ex altera super jure parrochiali ejusdem castri per utriusque partis procuratores in nostra præsentia quæstio verteretur, ad